

S(tephanus) Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus, tocius Anglie primas, apostolice sedis legatus universis^a filiis ecclesie salutem, gratiam et benedictionem.

Benedictus, qui venit in nomine Domini. Benedictus etiam, qui recipit sic venientem. Sed ut vobis plenius constet, filii karissimi, 5
quid sit in nomine Domini venire et qui in nomine Domini veniant, diligenter attendite et nos vobis edisseremus: qui sacramenta ecclesie (fol. 61^v) interdicta pristine restituit reverencie^b, qui nomen Domini quasi extinctum suscitavit et exaltat, qui ecclesiam in suam^c asserit libertatem^d, hic nimirum in nomine Domini veniens benedictus perhibetur. 10
Benedicti etiam, qui taliter venientem suscipiunt. Respexit^e Dominus in faciem ecclesie sue, respexit in oraciones humilium et non sprexit preces eorum¹. Et quod non potuit diuturnitas temporis, subito et quasi ex insperato vobis contulit gratia summi largitoris. Ecce enim diu genuistis sub iugo Pharaonis in luto et latere servientes², ecce a Deo recedere per 15
dissuetudinem coacti estis et in lege Dei prevaricantes hactenus expulso sacerdotio exorbitastis sicut oves errantes³ non in loco pascue⁴. Misertus est Dominus populi sui et sua inspiracione vobis misit alletam^f tempore oportuno. Nescit^g enim tarda molimina spiritus sancti gratia⁵. Hic a vobis iugum excuciet servitutis, hic solium iusticie exaltabit confusionem 20
reducens ad ordinem et ecclesiasticam reformans dignitatem. Hic est dilectus filius noster⁶, christianissimus rex Francorum, quem divina inspiracio murum pro ecclesia Dei constituit et propugnaculum, cui tanto periculosius est resistere, quanto verius est suum propositum a Deo processisse et quanto sinceriori movetur caritate. 25

a) universsis *Hs.*

b) reverancie *Hs.*

c) sua *Hs.*

d) libertate *Hs.*

e) respexit *Hs.*

f) alletam *Hs.*

g) nescit *Hs.*

1) *Ps. 101, 18 (iuxta LXX)*: respexit in orationem humilium et non sprexit preces eorum.

2) *HIERONYMUS, Commentariorum in Hezechielem libri VII 23 (CC 75, 1, S. 305, 820ff)*: Et habuit eas Deus, sive factae sunt eius, quando ingemuerunt ab operibus Aegypti, luto et latere servientes [...].

3) *1. Petr. 2, 25*: eratis enim sicut oves errantes.

4) *Ps. 22, 2 (iuxta LXX)*: in loco pascuae ibi me conlocavit super aquam refectio- nis educavit me.

5) *AMBROSIUS MEDIOLANENSIS, Expositio evangelii secundum Lucam II 19 (CC 14, S. 39, 292)*: nescit tarda molimina sancti spiritus gratia.

6) *Matth. 3, 17*: et ecce vox de caelis dicens hic est filius meus dilectus in quo mihi conplacui.